



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 2. Quo ordine succedant ab intestato parentibus liberi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

ferret eandem gradus computandi regulam, qua in ordine ad matrimonium utitur in eadem linea jus Canonicum; unde Pater, & Filius primo gradu juncti sunt; avus, & nepos, secundo; proavus, & pronepos, tertio, & sic deinceps. §. primo gradu, & seqq. Institut. de gradibus cognationum.

2318 Habetur 2. in linea laterali, sive aequali, sive inaequali in computu graduum quoad hereditates esse differentiam à jure canonico computante gradus in ordine ad matrimonium; nam jure civili in dicta linea tot censentur esse gradus consanguinitatis, quot sunt personæ dempto stipite, numeratis omnibus collateralibus; atque adeo, quot sunt personæ collaterales; & quia collaterales numerum expriment, in hac linea, juxta jus civile, nullus est primus gradus, secus, de jure canonico relatè ad matrimonia.

2319 Ex hoc habetur 3. juxta jus civile, duos fratres, vel duas sorores, vel fratrem, & sororem esse consanguineos in secundo gradu; fratrem, & fratris filium, vel filiam in tertio; fratrem, & pronepotem ex fratre, vel sorore, in quarto gradu; & sic deinceps; nam in primo gradu sunt duæ tantum personæ collaterales; in secundo, tres, in tertio, quatuor; consequenter etiam tot sunt gradus; nam collaterales per se non conjunguntur, sed tantum ratione stipitis communis utriusque ac proximi, duo fratres v.g. ratione Patris, vel matris; frater, & nepos ex fratre, vel sorore, ratione avi, vel avia, & sic deinceps; quia verò stipes non numeratur, eo dempto remanent soli collaterales, juxta quorum numerum erit numerus graduum.

§. 2.

Quo ordine succedant ab intestato parentibus liberi?

2320 Quid sit alteri succedere? quid succedere in capita, & stirpes? &c. exposuimus à n. 2019. Not. autem tres esse ordines succedentium ab intestato; primus est descendendum, seu liberorum; alter deficientibus liberis, seu descendentibus, est ascendendum, seu parentum; tertius demum in horum defectu, collateralium, nempe fratrum, sororum, & post

istos aliorum cognatorum, qui jure vocantur ad hereditatem, prout dicitur §. Cum filius. Institut. de hered. quæ ab intestato deferantur, L. 3. junct. authent. in successione C. de suis, & legit. liberis, ac demum in authent. de heredib. ab intestato venient. collat. 9. c. 1. quibus positus:

Prima regula in hac questione est, 2321 quod filii naturales, & legitimi, primi gradus, utriusque sexus, non tantum in patria potestate constituti, sed etiam emancipati, sive Clerici, aut Religiosi, sive Laici sint, præponantur aliis, qui sunt de linea ascendentium, vel collateralium, ut habetur Novella 118. c. 1. ibi: Si quis igitur descendendum fuerit ei, qui intestatus mortuus cujuslibet natura, aut gradus, sive ex masculorum genere, sive ex feminarum descendens, & sive sua potestate, sive sub potestate sit: omnibus ascendentibus, & ex latere cognatis præponatur, licet enim defunctus sub alterius potestate fuerit, tamen ejus filii, cujuslibet sexus sint, aut gradus, etiam ipsis parentibus præponi præcipimus, quorum sub potestate fuerit, qui defunctus est, in illis videlicet rebus, quæ secundum nostras alias leges patribus non acquiruntur.

Subjungit deinde seqq. nam in usu harum rerum, qui debet acquiri, aut servari, nostras de his omnibus leges parentibus custodimus, sic tamen, ut, si quem horum descendendum, filios relinquente, mori contigerit, illius filios, aut filias, aut alios descendentes in propriis parentis locum succedere, sive sub potestate defuncti, sive sua potestate inventiantur, tantam de hereditate morientis accipientes partem, quantum sint, quantum eorum parens, si viveret, habuisset, quam Successionem in stirpes vocavit antiquitas; in hoc enim ordine gradum queri volumus, sed cum filiis & filiabus ex præmortuo filio, aut filia nepotes vocari sancimus, nulla introducenda differentia, sive masculi, sive femina sint, & seu ex masculorum, seu feminarum prole descendant, sive sua potestatis, sive sub potestate sint constituti. Et hac quidem de Successionibus descendendum disposuimus.

Ex his juribus habetur firmata regula 2322 n. 2321. proposita, circa quam tamen not. 1. quando plures sunt liberi primi gradus, eos succedere in capita, si autem unus eorum, qui est pariter cum aliis gradus defunctus reliquit liberos, istos succedere avo, non in capita, sed in stirpes,

hoc est, solum in eam portionem, quae respondisset patri eorum, si vixisset; quo habetur, quod proximiores gradu non excludant remotiores, qui descendunt ab eo, qui, si viveret, foret in pari gradu cum illis proximioribus, sed eo modo, quo jam exposuimus.

2323 *Not. 2.* dictae regulae locum esse non tantum in liberis naturalibus, & legitimis; sed etiam legitimatis; nam hi in allodialibus, quantum est ad successionem, aequiparantur naturalibus legitimis per dicta *l. 4. decret. à n. 1422.* an autem etiam in feudilibus; *ibid. n. 1427.* respondimus affirmativè. *Not. 3.* eos, quos diximus avo suo solum succedere *in stirpes*, habere jus suum fundatum *in representatione personae*, à qua descendunt, & dici succedere *jure representationis*, quia in hoc assumunt gradum eorum, à quibus descendunt; ut si *Petrus* genuit *Jacobum*, & *Annam*, *Jacobus Bertam*, & hæc *Paulum*, & *Joannem*, si, cum moritur *Petrus* solum supervit *Anna*, & Nepotes *Jacobi*, isti, quoad Successionem stabunt cum *Anna* in pari gradu; eo nimirum, quo esset *Jacobus* avus, vel *Berta* Mater.

2324 *Questio* autem est, an, si tales descendunt ab iis, qui, si vixissent, successissent in capita *Titio* defuncto, succedant *in stirpes* non obstante, quod ipsi sint gradu inæquales? v. g. *Titius* genuit *Cajum*, & *Bertam*, *Cajus*, *Sejum*; *Berta* *Stichum*, & iste *Titiam*, an, cum moritur *Titius*, *Sejus* & *Titia* non obstante, quod sint inæqualis gradus succedant in portionem, quam ceteroquin habuisset *Cajus*, & *Berta*, si vixissent, dum mortuus est *Titius*? v. quod sic; nam *Sejus* filius *Caji*, & *Titia* proneptis *Bertae*, representant *Cajum* & *Bertam*, si *Stichus* decessit, & consequenter assumunt eorum gradum relatè ad *Titium*, in quo, respectu ejus, erant *Cajus* & *Berta*, igitur *Sejus* succedet in portionem *Caji* Parentis, & *Titia* in portionem *Bertae* Aviae, non obstante inæqualitate graduum inter *Sejum* & *Titiam*; colligitur ex dict. *Novell. 118.* ibi: *Cujuslibet gradus.*

2325 Ex hoc deducitur 1. quod, quando cum liberis primi gradus concurrunt Nepotes ex liberis primi gradus præmortuis, nepotes isti succedant in locum defunctorum, à quibus descendunt, & consequenter Avo succedant cum liberis primi gradus; at non

in capita, sed, *in stirpes*; nepotes enim, esto sint plures, non accipiunt singuli tantam portionem, quantum liberi primi gradus, sed omnes simul eam solum, quam habuisset is, quem representant.

Deducitur 2. quando quis moritur præmortuis omnibus liberis primi gradus, sed ex diversis suis prædictis liberis, extantibus nepotibus, istos Avo succedere non in capita, sed *in stirpes*; Si enim *Titius* genuit *Petrum* & *Annam*, isti autem præmortui reliquerunt, *Petrus* filiam, *Anna* tres filios, isti tres filii non accipient nisi portionem *Annae* divisam inter se æqualiter, filia autem portionem integram *Petri*, si non sint alii hujus liberi, si autem horum descendentes ponas in gradu inæquali, ex n. 2324. constat, quid dicendum sit.

Præter hæc *not. 1.* filios, legitimos tantum, adoptanti (si extraneus sit) succedere in capita cum naturalibus, & legitimis. *§. Institutorum, & §. Sed & omnia. Inst. de hereditat. qua ab intest. l. penult. §. Sed ne articulum C. de adopt. si verò adoptans sit ex ascendentibus, v. g. Avus paternus, si hic filium, ex quo descendit nepos adoptatus, emancipavit, emancipatus statim transit in potestatem Avi, & pari jure, succedit Avo cum suo Patre naturali, cit. *l. penult. §. Si verò*, denique is, qui sui juris se ipsum arrogandum dedit, arroganti succedit, sicut filius naturalis, ut habetur *l. fin. §. ult.**

Not. 2. illegitimos naturales non succedere Patri ab intestato, nisi in duabus unciiis, si nati sint ex concubina domi uxoris loco retentà, & non extant legitimi descendentes, & uxor legitima, per auth. *quibus modis natural. §. disertis. collat. 7. & auth. Licet. C. de natural. liber. Not. 3.* alios illegitimos (nimirum natos ex concubitu damnato, & per leges poenae subiecto) nec ad Patris, nec ad Matris hereditatem admitti, cit. *auth. Quibus modis, §. ult. c. 15.*

Not. 4. alios illegitimos ex concubina domi retenta, vel etiam meretrice, & concubitu vago, cum eorum Mater certa sit, succedere Matri cum aliis legitimis. *§. No. diff. m. Inst. de Senat. Conf. Orfic. l. 1. §. sed & vulgo. ff. eod. hoc tamen limitatur, ut non procedat, si Mater sit illustris, l. 5. C. eod. nisi careat aliis legitimis liberis arg. cit. l. 5.* an autem etiam istae Successiones Jure Canonico etiam procedant, dubitari potest, cum eo jure omnis concubitus sit interdicitus?

ctus: sed in hoc, quoad Successiones, jure civili, & legibus introductas, nihil statuit in oppositum.

§. 3.

Qualiter ascendentes succedant ab intestato liberis?

2330 **D**E hoc ita loquitur Novella 118. c. 2. si defunctus descendentes quidem non relinquat hæredes, Pater autem, aut Mater, aut alii parentes ei supersint, omnibus ex latere cognatis, hos præponi sancimus, exceptis solis fratribus ex utroque parente conjunctis defuncto; Sicut per subsequentiâ declarabitur. Si autem plurimi ascendentium vivunt, hos præponi jubemus, qui proximi gradu reperuntur, masculos, & feminas, sive paterni, sive materni sint, si autem eundem habeant gradum, ex æquo inter eos hereditas dividatur, ut mediætatem quidem accipiant omnes, à patre ascendentes, quancunque fuerint; mediætatem vero reliquam à matre ascendentes, quancunque eos inveniri contigerit: si vero cum ascendentibus inveniantur fratres, aut sorores ex utrisque parentibus conjuncti defuncto, cum proximis gradu ascendentibus vocabuntur; si, & pater, aut mater fuerint; dividenda inter eos quippe hereditate secundum personarum numerum, uti & adicendentium, & fratrum singuli æqualem habeant portionem, nullum usum ex filiorum, aut filiarum portione in hoc casu valente patre sibi penitus vindicare: quoniam pro hac usus portione hereditatis jus, & secundum proprietatem per præsentem dedimus: legem differentia nulla servanda inter personas istas, sive femina, sive masculi fuerint, qui ad hereditatem vocantur: & sive per masculi, sive per femina personam copulantur: & sive sua potestatis; sive sub potestate fuerit is, cui succedunt.

2331 **Q**UOD Ex hoc textu sequitur, quod hereditas defuncti ab intestato, si non relinquit descendentes, deferatur jure communi ascendentibus tam mediatis, quam immediatis, si liberi ante parentes è vira decedant; ubi nomine parentum veniunt etiam avus, avia, & sic in infinitum ascendendo; sed notand. 1. etsi jure antiquo Mater nec secundo loco (id est in defectu descendentium) successerit liberis suis, vel non nisi in certis casibus: secus tamen ef-

se jure Novell. cit. nam vi hujus succedit illis æqualiter cum Patre, & constat ex L. 14. C. de legitimis hæred. ibi: cum ad ipsarum mulierum successionem masculi jure agnationis vocentur, quis patiatur earum quidem hereditatem ad eos legitimo jure deferri, ipsas vero nec invicem sibi, nec masculis eorum jure posse succedere, sed propter hoc solum puniri, quod femina nate sint.

Not. 2. hoc procedere de liberis tam de emancipatis, quam non emancipatis. Novell. 118. c. 2. supr. etiam legitimatis rescripto Principis, cum in hoc ut dictum est, æquiparentur naturalibus, & legitimis, idem de adoptivis ex n. 2327. & filio posthumo, cum & hic veniat inter descendentes, de quorum successione parentibus comperente loquitur textus: cæterum adoptans, si sit extraneus, non succedit adoptato. L. penult. §. 1. C. de adopt. Nec arrogator arrogato in impubertate mortuo, ut colligitur ex cit. L. Penult. secus est mortuo completâ pubertate, si non reliquit liberos legitimos, cit. §. Instit. de acquil. per arrogat.

Not. 3. in casu, quo ad Matrem spectat impuberi providere de Tutore, & filius decedit impubes, à Matre non provisorius de Tutore, eam privari jure successionis. §. 6. Instit. de S. C. Tertullian. & L. 6. C. eod. Not. 4. in casu, quo extant soli parentes primi gradus, nullis extantibus defuncti descendentibus, vel fratribus, & sororibus, eos æqualiter succedere liberis defunctis, etiam non emancipatis: Si autem extant fratres, defuncto ex utroque parente conjunctis, etiam hi æqualiter cum parentibus succedunt, quin ex portione per hos accepta Patri eorum sit ullus usus, ut apertè habetur in textu in n. 2331. Si autem ascendentes sint in gradu inæquali, is, qui propinquior est, excludit remotiorem, v. g. Pater Avum maternum, quin remotiori competat ius representationis, prout contingit in descendentibus juris privilegio, constat ex cit. Nov. in n. ibi: hos præponi jubemus, qui proximi gradu reperuntur.

Ex hoc sequitur, quod, esto nepos ex fratre remotior sit ab Avo, quam patruus, tamen in materia Successionis respectu Avi jure representationis constituitur in eodem gradu cum fratre defuncti fratris sui, consequenter cum patruo succedat Avo in ea portione, quam habuisset Pater, si vixisset,